



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 189. An ad contrahendum impedimentum criminis requiratur unà cum occisione conjugis promissio matrimonii vel adulterium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)



*Quest. 187. incidens: Num de cetero promissio, quæ quis alteri promittit matrimonium post mortem conjugis sit irrita.*

**R**Esp. Non solum est graviter peccaminosa. Castrop. n. 14. juxta c. *fin. h. t.* sed & esse irritam ipso jure, etiam quando non præstat impedimentum matrimonii contrahendi. V. G. se junctim ab adulterio, probabilius tenent Abb. in *cit. c. fin. num. 2.* Alex. num. 4. Lancell. *Inst. jur. can. l. 2. tit. de divorc. §. cum ea autem.* Sanch. l. c. n. 40. Laym. *cit. c. ro. in fine.* Castrop. num. 15. Pirh. num. 13. eo quod reprobetur à jure, tanquam bonis moribus repugnans, quippe adhuc præbens occasionem captandæ mortis conjugis. Quem admodum ob eandem rationem irrita est promissio beneficii vacaturi, antequam vacet. c. 2. *de concess. præb.*

*Quest. 188. An & qualiter impedimentum contrahatur ab infidelibus.*

**1.** **R**Esp. primò: Certum est, id non contrahi ab iis in infidelitate permanentibus vi juris naturæ, sed neque vi legis ecclesiasticæ, utpote quæ infideles non obligantur, sed vi legum civilium, si fortè hæc apud illos tale impedimentum induxerunt. Sed neque, dum ambò infideles adulteri ad fidem conversi, illud contrahunt, dum etiam alterutrum eorum, nimirum vel adulterium commissum, vel data fides ante utriusque Baptismum, eò quod delictum commissum ante Baptismum non puniatur ab Ecclesia; adeoque perinde censi debeat, ac si non accidisset in ordine ad hoc impedimentum inducendum. Sanch. *cit. d. 79. n. 43.* Laym. *cit. c. ro. num. 6.* Castrop. num. 7. contra Veracruz p. 1. *specul. a. 34. post 4. du. concl.*

**2.** **R**esp. secundò: Quòd si tamen unus ex adulteris promittentibus inter se matrimonium fidelis seu baptizatus fuerit, is hoc impedimentum contrahit, ne dein mortuo conjugè possit cum Arg. c. 1. *de convers. in fid.* ubi dicitur, si Saracenus ope mulieris Christianæ maritum illius interfecerit, non posse dein ad fidem conversum mulierem illam habere uxorem; cum muliere impedita ob ecclesiasticam constitutionem contrahere cum tali viro, etiam per accidens & consequenter vir (qui aliàs ex parte sua etiam jam conversus ratione delicti ante Baptismum commissi huic impedimento obstrictus non erat) cum muliere illa contrahere matrimonium non possit. An verò etiam non possit validè contrahere manens infidelis, & è conversò dici possit: viro non impedito contrahere, mulier aliàs obnoxia illi impedimento etiam per accidens non impeditur contrahere: meritò dubitatur; & pendet resolutio hujus dubii ex eo, an dum duorum adulterorum talium unus est capax istius impedimenti, alter incapax, impediatur inter se contrahere matrimonium; ad quòd affirmativè videtur respondere Castrop. n. 6. *in fine.*

*Quest. 189. An ad contrahendum impedimentum criminis requiratur una cum occisione conjugis promissio matrimonii vel adulterium.*

**1.** **R**Esp. ad primum: Non requiri, ut interveniat promissio matrimonii vel etiam contractus

*R. P. Leur. Jur. Can. Lib. IV.*

matrimonii de præsentè. Sanch. l. 7. d. 78. num. 2. Pirh. h. t. num. 19. juxta quòd deciditur. c. *super hoc h. t.*

**2.** **R**esp. ad secundum: Si uterque eorum, qui contrahere desiderant matrimonium post mortem uxoris, machinati sunt & conspirarunt in eadem uxoris, non requiritur adulterium. Nav. c. 22. q. 46. Bellarm. l. 1. *de mat. c. 22. vers. crimen homicidii.* Sanch. l. c. n. 9. Gutt. c. 105. n. 12. Ponc. l. 7. c. 45. n. 4. Laym. l. 5. *tr. 10. p. 4. c. 10. n. 2.* Castrop. d. 4. p. 12. n. 3. Pirh. h. t. n. 23. juxta c. *laudabilem. de convers. infid.* ubi Saracenis, qui ex mandato & consilio uxorum peremerunt earum maritos, interdicitur matrimonii cum illis uxoribus. Si verò tantum alter eorum machinatus est uxoricidium, seu reus est uxoricidii. V. G. maritus occidat uxorem suam, ignorante vel contradicente faminâ, cum qua intendit contrahere matrimonium, necessariò insuper requiritur adulterium. AA. iidem Arg. c. *si quis vivente.* 30. q. 1. c. 1. c. *super eo. c. significasti. h. t.* aliorumque textuum, in quibus semper adulterium conjungitur cum uxoricidio.

*Quest. 190. An ad hoc impedimentum incurrendum requiratur præcisè uxoricidium.*

**R**Esp. Negativè; sed perinde est, an sit uxoricidium an viricidium. Gl. in c. *fin. h. t.* Sanch. n. 8. referens quamplures. Gutt. n. 10. Ponc. n. 5. Laym. l. c. Castrop. n. 6. &c. contra Ledesin. Cened. & alios, quorum sententiam probabilem censet Henricq. l. 12. c. 14. n. 2. constat ex c. *si quis vivente.* & c. 1. *de convers. infid.* qui textus loquuntur expressè de viricidio. Quòd verò alii textus non faciant mentionem nisi de uxoricidio, ideo est, quòd id frequentius quàm viricidium; non tamen inde sequitur, quòd ad viricidium tanquam minus frequens extendi non debeat hoc impedimentum; cum, dum eadem est ratio, & sunt correlativa (sicut in præsentè sunt maritus & uxor) quòd dispositum in uno, debeat censi & de altero correlativo. Procedereque responsionem, ait Castrop. tametsi occidens sit infidelis, modò adulter sit fidelis; cum Ecclesia, etsi infideles punire nequeat, possit tamen punire fideles, inhabilitando ad matrimonium, si delicto infidelis cooperati sunt.

*Quest. 191. An requiratur, ut occiso fiat physicè ab adultero, seu intendente contrahere matrimonium.*

**R**Esp. Negativè, sed sufficit fieri moraliter per jussionem, mandatum, vel etiam consilium influentia efficaciter in occisionem, tametsi adulterorum neuter eam patratit physicè. Laym. l. c. n. 1. Castrop. n. 4. Corrad. in *pr. dispensat. apost. l. 8. c. 19. n. 17.* Arg. c. *si quis vivente.* & c. 1. *de convers. infid.* Non tamen juxta sententiam probabiliorè, quam sequuntur Gl. in *cit. c. si quis vivente. v. occidisse.* Abb. in c. 1. h. t. num. ult. Sanch. num. 6. Gutt. num. 8. Laym. num. 1. sufficit occisionem patratam fatam haberi; cum rati habitio non sit causa occisionis, sed eam supponat; & reg. *rati habitio. de reg. jur. in 6.* rati habitioem æquiparans mandato solum locum habeat, ut Castrop. in iis, quæ pendunt à voluntate ratam habentis, vel quæ jure disponente pro mandato reputantur, quòd in præsentè non fit.